

§. II. Varia autem turpitudinum & flagitiorum, quæ gravissimam Numinis indignationem mererentur, genera in lucis istis fuisse perpetrata, Autores tum sacri tum profani etiam testantur, adeo ut pia mens exhorrescat ea cogitando, & ita humanos animos infra se demitti posse ambigat. Conf. *Diet. Antiquit. Biblic. V. T.* p. 265. - 275. *Cosmas Magalian.* in comment. in c. VI. *Judic. Lorin.* in Deuteron. p. 302. & Num. p. 468. *Pineda* de rebus Salom. L. V. c. IIX. p. 971. seqq.) *Ideo,* inquit *Jesuita Casp. Sanctius* præcipue in lucis gentes & inter condensas arbores excitarunt altaria & suas ibi viétimas immolarunt, aut aliud sacrificiorum genus obierunt, ut, postquam indulssissent ventri Diisque genialibus, Veneri sese aut turpiori traderent intemperantia, facile ad condensas arbores lucorumque obscuras umbras tanquam ad occulta & ideo opportuna magis libidinum diverticula transirent &c. in comment. in IV. Reg. c. XXIII. v. 7.

§. III. Hanc ob causam Numen sanctissimum populo Israelitico, qui natura sibi soli fere propria ad idola gentium colenda ferebatur, Cananææ terræ possessionem suis Patribus promissam occupaturo, lucos earum confringere & funditus evertere immixtis facibus, præcepit, ne his Ethnicorum superstitionis cultibus implicarentur, & a Domino averfi in calamitates meritas inciderent: quinimmo nullos ad altare suum plane voluit plantari.

§. IV. Cujus interdicti rationem prudentiores Judæi hanc reddunt *מפני שהורה זרה הדרך עבודה זרה* נוסעין אילנות בצד מזכח שלה כרי שיתקבצו שמה עם quoniam is ritus erat idololatrarum, arbores scilicet juxta altaria plantare sua, ut ibi conveniret populus. (*Maimonid. hal. Abhod. sacr. c. 6. Moses Mikkotzi præcept. Negat. 44.*) neque igitur Noachidi permissum siye juxta tabernaculum
sive